ILL.mo DOMINO

D. HERMANNO A BVRGVNDIA COMITI FALLESIO, &c.

VEniam præfabor, Illustrissime Domine, si doctissimis tuis ad me litteris seriùs fortasse quàm par erat, respondeo. In morbo iacui toto plus mense, cum cuius reliquijs etiamnum ægerrimè colluctor, malum immedicabile ab arthritide est, quod stato tempore per brumam me incursat, & veluti gelat, nec vim remittit, nisi miserrimè detritis omnibus articulis. Difficulter itaque, & lentè manum expedio per papyraceum hoc æquor, & Illustrissimæ D. T. gratias testor, qui non modo humanissimis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

litteris, ſed & elegantiſſimi carminis tui lectione me dignum habueris, in quo, vt genij tui felicitatem ſummâ cum eruditione in tanta nobilitate coniunctam magnâ cum veneratione ſuſpicio, ita ſeueritatis tuæ rigorem nõ parum admiror, qui tam bellos & gratioſos fœtus tuos à me cenſeri, & caſtigari poſtulas. Quod quantum abeſt ab illis mereri, tantum à me, vt auſim, vel poſſim. Quis enim ego ſum, qui Quintilij, hoc eſt Momi perſonam in Veneris Sandalio carpendo ſuſtineam? Ingenuè dico, ſcripta tua (vt Phidiæ ſigna) omninò accurata, atque abſoluta extra omnem cenſoriam aleam poſita ſunt, nihil in ijs ſcabrum, nihil durum, nihil aſperum. Omnia florida ſunt, Muſarum in gremio nata, & quæ æternam Laurum capiti tuo promittunt. Ita me Ill.ma D. T. fauore & humanitate ſuâ ſolita ornare & fouere pergat, qui penitiſſimo animi adfectu nobiliſſimã dexteram tuam exoſculatus, nihil tam opto, atque ambio, quàm eſſe & haberi

Perpetuo vſu, & mancupio
humillimo tuus

MAXÆMILIANVS VRIENTIVS.

EPI-